



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De gradibus siue profectibus patientiæ. Cap. XXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

imponunt, quàm de illis quibus formidant imponere, ne fortè nolint æquo animo portare. Sic & Dominus qui nobiscum est omnibus diebus in via hac qua ambulamus, lassatus vsq; ad mortem labore suæ passionis, quærit quis nostrum velit ei compati, & onus tribulationum suarum, quod adhuc in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, sustinet, secum portare: quia hanc passionem quam caput in se pro nobis instituit & sustinuit in carne, diuisit per omnia membra fidelium suorū: vt sicut oportebat pati Christum, & ita in gloriam suam intrare; ita & membra eius, si capiti fideliter compatiantur, & conglorificabuntur: sicut socij fuerint passionis; ita & resurrectionis erūt. Qui enim plus cōpassus Christo fuerit, etiam propius cum eo regnabit.

Mat. 28, 29

Luc. 24, 26

Rom. 8, 17

2. Cor. 1, 7

*De gradibus siue profectibus patientiæ.*

CAP. XXXVII.

**G**RADVS siue profectus patientiæ. Primus, vt discat homo morus iræ & impatientiæ per pugnam cohibere & reprimere, ne erumpat foras in verba vel facta illicita. Sicut ignis suffocatus fumo suo extinguitur; si autem non cohibetur crescit, & omnia quæ attingere poterit cremabilia incendit. Quatuor autem modis solet ignis extinguī, perfusione, obstructione, dissipatione, & defectu materiæ. Simili modo ignis impatientiæ deferuescere consuevit. Perfusione prudentium consiliorum: vt maturè deliberet homo quantum ei nocere possit impatientia, & quantum patientia prodesse. Quæ quia superius de remediis dicta sunt, prætereo immorari. Obstructione vel obstructione oris & labiorum, ne lingua proliat in verba falsa & nugigerula, vel ne manus erumpat in facta furibunda. Vnde Psalm.

Gradus 1.  
In verba &  
facta illicita non  
erumpere.

Quomodo  
ignis iræ  
impatientia  
extinguitur.

T 3

Pone

*Psal. 140.* Pone Domine custodiam ori meo. Dissipatione, ut ad alios actus vel tractus homo se conuertat, quibus abstractus obliuiscatur materiae qua succensus est ad iram: sicut eum ligna dissipantur à se inuicem, ignis diuisus deficit. Defectu materiae, ut homo abstrahat se ab illis negotiis & cupiditatibus, quae solent ministrare occupationes irae & impatientiae.

*Pro. 26, 20* Prouerb. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis; & susurrone substracto, iurgia conquiescunt. Susurratio est occulta suggestio, quae hominem instigat ad materias litium. Secundus gradus patientiae est, cum ex longo usu

*Gradus*  
*1. Patientiae non*  
*terrerit ad-*  
*uersis nec*  
*turbari.*  
paciendi & impatientiam restrainandi, homo didicerit iam non terri vel turbari aduersis, sed quasi in loco munito inconcussus circumcurstantes aduersarios intuetur, quos nihil sibi posse nocere confidit. Tandiu autem homo aduersis terretur, quoadiu aliquid diligit temporale in se vel extra se, quod timet perdere vel dolere, ut corpus, res, honores, amicos, & propriam voluntatem. Qui autem ista inordinatè non diligit, sicut non valde delectatur in eis, ita nec grauius contristatur pro eis: sicut qui uxorem non dilectam habet, nec de vita eius iocundatur, nec de morte contristatur.

*Observa.*

Quid igitur potest tibi aduersarius nocere unde turberis? Si odit te in corde suo, malum suum intra semetipsum clausum est, & nihil te tangit poena illius. Tantum tu esto in pace apud te. Ignis in sinu alterius inclusus illum urit non te. Si verbum dixerit contra te, ventus sonans pertransit per aërem, non iaculum tibi infixit. Sicut ergo rideres si iaculum contra te missum casto vulnere aërem feriret, & te non contingeret; ita facito ad verba maledicorum. Canis latrat contra te, & ridendo pertransis; si detrahit tibi absens, non turberis; se laesit, tibi

tibi non nocuit. Ipse prodit se esse inuidum  
& detractorem; & se apud intelligentes magis  
odibile & contempibilem reddit, & sic vindicavit  
te de seipso. Tace ergo, & alij pugnabunt  
pro te, & Dominus conteret aduersarij tuum.  
Si autem incipis cum eo remordendo contem-  
dere, qui prius tibi compassi sunt, stabunt &  
aspicient vos compugnantes sicut duos gallos,  
& ambos vos despicient, & odient, & impa-  
tientia & inuidia arguent. Si ergo times de-  
tractori contra te credi, sustine humiliter, &  
patientia tua tollet suspicionem, vel mitigabit  
presumptionem de te in cordibus aliorum. Si  
autem cor tuum uritur intus ex rancore, re-  
prime intuitu secururae vititatis, sicut qui urit-  
tur vel secatur pro aliquo apostemate fanando,  
tolerat breuem dolorem pro spe salutis obti-  
nenda. Et sicut oportet nos pati morsus puli-  
eum & similiarum bestiarum, sic etiam susti-  
neamus cum patientia punctiones vilium de-  
tractorum. Inopes honoris non possunt si-  
ne inuidia pati laudes meliorum, quas cum  
ipsi habere non valent, dolent se solos con-  
fundi: vellent secum socios habere miserie pro-  
solatio, & ideo detrahunt alijs, sicut deformis  
vellet sibi alios esse similes. Corporis autem do-  
lores & rerum amissionem, & amicorum offen-  
sas, & confusiones patienter tolerate, supradic-  
tis remedijs discitur, & maxime vsu saepe ta-  
lia sustinendi. Vix enim aliquid in hac vita  
tam asperum est, quod vsu & studio patientia  
non fiat leuius ad portandum. Iuxta illud:  
Quod male fers, assuesce & feres. In isto gradu  
nec perturbatur homo aduersis nec gaudet: sed  
sustinet & tacet. Tertius gradus patientia est, Gradus  
gaudere in tribulationibus: & gloriari cum ad III. Pati-  
sunt, & desiderare cum desunt. sicut famosus entia gau-  
& nobilis tiro gloriatur cum debet tirocinium dere tribu-  
lationibus

Job 6, 3

contra alium nobilem exercere. Iob: Quis des  
ut veniat peritio mea, &c. Et hæc mihi sit con-  
solatio, ut affligens me dolore, non parcat. Ad

2. Cor. 12,  
10.

Corinth. Placeo mihi in infirmitatibus meis,  
in contumeliis & necessitatibus, in angustiis,

Deut. 33, 19

in persecutionibus pro Christo. Deuter. Im-  
molabūt victimas iustitiæ, qui inundationem  
maris quasi lac sugent; qui exerescente amari-  
tudine cuiuslibet aduersitatis quasi lacte con-  
solationis hilarescunt. Et hi victimas iustitiæ  
immolant: quia secundum beatum Grego-  
rium, maioris est meriti aduersa patienter to-  
lerare, quam bonis operibus insudare. Qui  
ergo ex desiderio placendi Deo, sibi aduersa  
aliquando infert, castigando corpus, & men-  
tem in ærore & cōtritione afficiendo; cur non  
etiam libenter sufferat, cum ab alio infertur ei  
ocasio patiendi, vnde vel corpus affligitur, vel  
animus humiliatur, cum maioris sit meritū  
hæc pati equanimiter ab alio quam semetipso?  
Et qui semetipsum vilem & reprehensibilem  
iudicat; cur non patienter accipit quando alius  
idem sibi infert, quod de seipso sentit? cum  
nullius iudicium tam timendum sit post Dei,  
sicut sui ipsius? Conscientia enim cuiuslibet  
gravior in iudicio, quam omnium aliorū erit  
præter Deum. Hic apparet quod rara virtus  
perfecta. Vera enim humilitas sic gaudet ab  
alio humiliari, sicut à se: Et vera patientia ita  
libenter sustinet aduersa ab aliis illata, sicut à  
se procurata, quantum spectat ad se.

*De obedientia.*

## CAP. XXXVII.

**E**T quia obedientia ex charitate & humili-  
tate & patientia nascitur, de ea aliquid ad  
ædificationem aliorū breuiter videamus: quia  
in